



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XVI. Vt collatio sit in arbitrio magistri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1127.

prope est, vel, si ita non est, in eodem loco, summo procuratori nostro, qui est Christus, gratias, vt decet, cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus: famulis aut pauperibus fragmenta, panibus tamen integris referuatis, distribuere fraterna caritate debent & iuentur.

XV.

*Vt decimus panis semper eleemosynario detur.*

Licet paupertatis præmium, quod est regnum celorum, pauperibus procul dubio debeatur; vobis tamen, quos Christiana fides de illis indubitanter fatetur, decimum totius panis quotidie eleemosynario vestro dare iubemus.

XVI.

*Vt collatio sit in arbitrio magistri.*

\* forte  
Iberiam

Cum vero sol orientalem regionem deserit, & ad Iberiam descendit, audito signo, vt est eiusdem regionis consuetudo, omnes ad Completas oportet incedere vos, ac prius generalem collationem sumere peroptamus. Hanc autem collationem in dispositione & arbitrio magistri ponimus, vt quando voluerit de aqua, & quando iubebit misericorditer ex vino temperato competenter recipiatur. Verum hoc non ad nimiam fatietatem oportet & in luxu fieri, sed parcius; quia apostatate etiam sapientes videmus.

XVII.

*Vt finitis Completis silentium teneatur.*

Finitis itaque Completis ad stratum ire oportet. Fratribus igitur a Completoriis exeuntibus nulla sit denuo licentia loqui in publico, nisi necessitate cogente; armigero autem suo quæ dicitur est, leniter dicat. Est vero forsitan vt in tali interuallo vobis de Completorio exeuntibus, maxima necessitate cogente, de militari negotio, aut de statu domus nostræ, quia dies ad hoc vobis sufficere non creditur, cum quadam fratrum parte ipsum magistrum, vel illum cui domus dominium post magistrum est debitum, oporteat loqui. Hoc autem ita fieri iubemus: & ideo,